



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Abundantia Virg. 19. Ianuarii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

supra quingentesimum. Puer genium suum defraudat, ut inopum ditet. Hinc Sacerdos, ex Sacerdote nobilis eremi cultor cœnobium exædificat, & silvas facit habitari. In his feræ à lupis agitæ asylon sinum pandit, verissima aurei seculi ovis. Inde optimus orator oratione suâ suadet arbori ingenti, aliò ut migret, & persuadet. Depopulantem porrò omnia flammâ uno Crucis signo exarmat: ægris sanitatem pristinam plurimis impertit. Sed non perinde avaro nescio cui facere medicinam placuit. Fuit hic oppidò dives, sed letho proximus rectè pauper sibi videbatur. Mittit itaque XL. aureos LAVNOMARO, sive ut DEVM sibi per hunc propitium redderet, sive ut fortè sic mortem auro corrumperet. At verò LAVNOMARVS ad severum in arâ examen singulos expendere, & unico duntaxat servato, alios omnes remittere, gravi additâ denuntiatione, quâ & exoptulabat, quòd furtum munus Deo obtruderet, & simul mortem indicebat. Et verò non huic tantum, sed universæ Galliæ vastitatem clademque vaticinatus est; ipse tamen ne hanc videret, morte oculos clausit. *Ex Surio.*

*Homo, mitte & pramitte thesaurum tuum in celos, ne caelestem animam demergas in terram. Aurum de profundo terra; anima ab excelsis cali. melius proinde est, ad sedem suam deferri aurum, quàm in sepulchro auri Anima demergatur. S. Pet. Chryf. serm. 22.*

S. ABUNDANTIA VIRG. 19. Ianuarii.

Satis laudasse ABUNDANTIAM videri possem, si illud modò dicerem, & natam & mortuam laudatam ultrò ab ære campano fuisse. Adjiciam tamen alia pluscula. Cùm sacro fonte tingeretur, dicuntur

dicuntur lampades templi suapte sponte accensæ, & infanti lucem & urbi infantem gratulatæ esse; ipsa ABUNDANTIA jam tunc in innocentis femine patrocinium (adulterii rea agebatur) fuisse facunda. Jam octennem ferunt ab icone pueruli JESU MATRIS sinum insidentis pomum aureum, quod manu fortè pictum gestabat, petiisse & adeò impetrasse; ἀντίδοτον deinde flores (ab hieme donatas) eidem attulisse, & ut acciperet persuasisse. Sed hucusque cælum cum puellâ lusit. quæ dicam severiora sunt. Itaque memorant cum Majolo Abbate matreque Jerosolymam ivisse, & cum cætera Christi vestigia, tum illa potissimum venerabundam exosculatam fuisse, ubi ille pondere Crucis fessus obviam MATREM habuit, heu! alteram tunc oculis suis crucem. Hic lacrimis diffluere voluisse ABUNDANTIAM; hinc flagris ita in sese sæviisse, ut sicut oculi in fontem, ita sanguis fusus in rivus abire videretur. Abhinc Angelo duce in antrum Onuphrii devenisse, illicque feminam viri vitam vixisse. Ad extremum repertam à patre reductamque in patriam, omnem, hoc mortuo, hereditatem egenis cessisse; mortuam deinde etiam ipsam profunere ab Angelis laudatâ cantu fuisse. *Ex Ferrar.*

*Ad caelestia regna suspires, voluntatem Dei facias, imiteris Angelos super terram, adversus tentationes proprietate configas; & si caelestis militia sacramenta servaveris, non dubites te in castris triumphalibus Regis aeterni victoriâ coronandum. S. Leo s. 2. de Nat. Dom.*

S. SEBASTIANUS MART. 20. Januarii.

**A**Nno post CHRISTVM natum LXXXVI. supra CC. Marcus & Marcellianus Christiani milites ad defectionem vehementer à parentibus sollicitaban-